

intuere et ecclesiam tuam continua fac celebritate letari, ut intercessione beati Kanuti martiris tui omnium in te credencium vota perficias per Dominum nostrum.

Secretum.

Deus, cuius providencia gloriosus rex et martir Kanutus *crudelium populorum nefanda sustinuit tormenta, *f. 18^r. concede nobis famulis tuis eius meritis et precibus perhennis vite adipisci gaudia, qui eum per hec dignatus es celesti decorare honore et gloria per dominum nostrum Iesum Christum.

Complenda¹.

Deus, qui beatum Kanutum regem a subditis sibi plebibus iniuste peremptum glorioso martirio coronasti, presta, ut ipsum apud te senciamus intercessorem, quem credimus in celis gracia tua gloriose regnare victorem per Dominum nostrum.

1) 'Complend' Hs.